admodum manifeſtum vel problema eſſe impoſſibile, vel adhibitam eſſe methodum, quæ aliquid impoſſibile involvit, prorſus ut fit in argumentatione dum res ad abſurdum reducitur.

IV. Radices imaginariæ quæ eamdem ſub ſigno radicali quantitatem habent ut $\sqrt{.a}$, $-\sqrt{-a}$, per multiplicationem efficere poſſunt productum reale in quo nullum ſuperſit ſignum radicale, dommodo radices illæ numero pari ſemper multiplicentur. Etenim evaneſcere non poteſt ſignum radicale, niſi terminus hoc ſigno affectus multiplicetur per alium terminum, qui idem ſignum radicale habeat & eandem quantitatem ſigno incluſam. Jam vero ita ſublato ſigno radicali; ſi productum ex prima multiplicatione per idem ſignum radicale multiplicetur, novum productum afficietur quoque ſigno radicali; at ſi rurſus multiplicetur per idem ſignum radicale, iterum evaneſcet ſignum radicale, & ita deinceps. Si polynomii terminus aliquis contineat radicem imaginariam, quale eſt polynomium $x - a - \sqrt{-b}$, evaneſcere non poteſt ſignum radicale, niſi polynomium datum multiplicetur per aliud, quod a primo differat tantum quoad ſignum vinculo radicali præfixum. Ita in polynomio propoſito ſolum productum ex $x - a - \sqrt{-b}$ in $x - a + \sqrt{-b}$ delere poteſt ſignum radicale, factaque multiplicatione habetur $xx - 2ax + aa + b$; in hoc enim ſolo caſu producta ſingula ex unoquoque termino reali in $\sqrt{-b}$,

ſeſe